



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jus Canonicum Practice Explicatum**

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gegorii Papæ IX. Titulos,  
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos  
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

**Pichler, Vitus**

**Ingolstadii, 1728**

Decisio XLVI. De nomine Actionis non expresso in Libello.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

& alii cohæredes tum in illo loco præfentes adierint prædictum Judicem pro cautione impetranda contra unum ex cohæredibus, rectè est factum, quia tunc ratione rei sitæ, & divisionis, ac præsentia cohæredum fuit competens; nunc verò omnia illa cessarunt, ex quibus posset fundari competentia. Quòd verò defacto adhuc agat ibidem contra viduam, nihil ipsi præjudicat; quia vidua ibi sortitur forum, quòd & ipse tanquam Actor sequi debet: exinde verò non sequitur, quòd à tertio possit conveniri ibidem tanquam Reus, & quòd eidem Judici quoad aliam causam, prorsus diversam, à tertio movendam prorogaverit jurisdictionem, cum nullo modo in hunc consenserit unquam quoad hanc causam.

Septima denique, licet speciem ali-

quam præferat, nihil tamen vitiosum habet; quia planè non apparet hinc connexio litis super aucto legato vidua inibi motæ, & litis super facta collatione per crassam ignorantiam à cohæredibus extorta, ut una sine altera cognosci & terminari nequeat: una dependet ab altera ratione sui, patet, nec ratione incidentiæ, neutra sit principalis respectu alterius nec ratione personæ, cum vidua & Godefridus non sint cohæredes, nec legataria, nec Godefridus super hereditate conveniatur, sed iste super collatione bonorum, quæ viduam in illo modo concernit.

Atque hæc responsa ad eòdè visibiles efficacia tam Judici, quam Actoris, ut nec ille porro citare Godefridum nec iste citationem illius porro per ausus sit.



## TITULUS III.

### De Oblatione Libelli.

#### DECISIO XLVI.

#### De Nomine Actionis non expresso in Libello.

#### SPECIES FACTI.

**P**Amphilus Oenopóla vendidit Simpliciano duo vini dolia, quòd Rhenanum esse asseveranter & jure-

jurando asseruit, cum tamen fuerit Franconicum, & nescio qua maniera ita corruptum, ut ex eo, quædam

Arē dixerint, aliquid morbi, maximè  
veterum dolores, hauserint. Simpli-  
citus igitur Judici competenti obtulit  
Libellum, in quo recensita totius rei  
serie multum conquestus est contra  
Pamphilum ratione gravis damni non  
tantum in pretio sibi, sed etiam in va-  
letudine multis aliis illati, petiitque re-  
farciri ab eodem omne damnum in se

& alios redundans. Pamphilus sive  
aliud non habuerit, quod Libello op-  
poneret, sive litem retardare inten-  
derit, exceptit contra Libellum tan-  
quam ineptum, eò quòd nomen Acti-  
onis, qua agere instituit, non ex-  
presserit, petiitque ab instantia ab-  
solvi.

## QUÆSTIO.

An necesse sit in Libello specificè exprimi nomen Actionis  
instituentis?

Affirmaveris fortè I. ex l. 1. ff. de  
Edendo. l. 33. ff. de Judic. & l.  
1. C. de Interd. in quibus clarè insinu-  
antur, edendum diligenter esse ab  
Actore, & exprimendum, qua Actio-  
ne experiri voluerit. II. Conditio-  
nes Legum admodum sollicitè varia  
Actionum nomina invenerunt & insti-  
tuerunt: sed hujus rei alia & melior  
ratio non est, quàm ut Actores in suis  
Libellis Actionum, quas sibi compe-  
tere credunt, nomina diligenter &  
specificè exprimant: ergo. III. Ipsæ  
Leges studiosè volunt inquiri in ge-  
nus & nomen Actionis, uti l. 1. 2. 3.  
ff. de Prescript. verb. non obstante,  
quòd de specie facti jam satis constet:  
ergo non sufficit speciem facti cum  
suis circumstantiis diligenter exprimere,  
sed opus est etiam specificum Actionis  
nomen & genus edere. IV. Sententia  
debet esse conformis libello. l. 18. ff.  
Com. divid. Clem. 2. de V. S. sed quo-  
modo sententia erit libello conformis,  
(R. P. Picbler Decisiones.)

si Judex in eodem non instruat, quæ  
& qualis Actio sit instituta? Et hinc  
V. mandat Pontifex in c. 1. de Mut.  
petit. ut actione proposita -- negotium  
terminetur.

Quidquid autem tu senseris, ego  
Negativam teneo, & sic propugno I.  
Textus Juris Canonici satis disertè ne-  
gant, specificum Actionis nomen esse  
exprimendum, ajuntque sufficere,  
modò negotium & factum in Libello  
ita describatur, ut ex narratione &  
contextu formæque conclusionis Ju-  
dex facile possit deprehendere certum  
Actionis genus, uti ordinariè potest  
deprehendere ex serie & specie facti,  
causa, & medio concludendi. In c. 6.  
de Judic. Alexander III. ita præcipit:  
provideatis attentius, ne ita subtiliter,  
sicut à multis fieri solet, cujusmodi Actio  
intentetur, inquiratis, sed simpliciter,  
& purè factum ipsam, & rei veritatem,  
secundum formam Canonum, & SS. Pa-  
trum instituta, investigare curetis. II.  
Ad-

H h

Ad-

Adstipulatur quoque haud obscure Jus Civile in l. 69. ff. de fidejussor. Et mandator. ibi: non titulus actionis, sed debiti causa respicienda est. & l. 3. C. ad S. C. Maced. ibi: Origo potius obligationis, quam titulus actionis considerandus est. Ex quibus Textibus, si conferantur cum illis, quos pro adversa parte adduxi, ad minimum redditur dubium, an de Jure Civili exprimentum sit nomen Actionis, vel non: atqui, ubi Jus Canonicum aliquid statuit clarè, uti hic, Jus verò Civile tantum dubiè, standum est Juri Canonico claro. arg. c. 1. de N. O. N. & Doctores tradunt instar regulæ. Id quod III. adhuc magis confirmatur ex communi DD. sententia, qui cum Gailio 1. observ. 61. Hahn ad Wesenbec. ff. de Edendo n. 7. Zoëzio ff. de Edendo n. 8. König lib. 2. Decretal. Tit. 3. n. 39. 40. &c. nostræ subscribunt opinioni, quam Jason §. omnium Inst. de Action. n. 165. apud Gail vocat communem. Et IV. ex praxi, de qua testatur P. Wex in Ariadne p. 2. tab. 4. n. 9. & quod observari ego ipse non rarè observavi: praxis autem & consuetudo est optima Juris dubii interpres: ergo.

Argumentis contrariis exigua, imò nulla vis inest. Ad I. 8. dictas Leges plus non velle, quam quòd edenda sit Actio, h. e. negotium ita in libello describendum, ut ex narratione & tenore libelli colligi possit instituta Actio, quod nec ego inficior: nego autem, Actionis nomen esse exprimentum, h. e. nomen specificum Actionis allegandum, quod dictæ Leges

non habent. Ad II. N. Min. sufficit Legislatorum intentioni, si rei facta ita describatur, ut Judex deprehendere valeat, quæ actio sit instituta, libello non sit nominata. Sed quid tentandum, si ex eadem facti specie plures Actiones possint competere, vel obscurum, quam Actionem voluerit tentare Actor? Resp. Judex eam presumere debet esse intentatam, quæ Actor omnium utilissima esse censetur. L. si quis intentionem ff. de Judic. l. si stipulantem §. 1. de V. O. Gail. 1. observ. 61. n. 9. 10. Ad III. Leges tantum sunt sollicitæ de nudo Actionis nomine, quàm de ipso negotio, ut constet, quæ probari & doceri illud oporteat juxta Actionis naturam, quod Judex facile dignoscet, si eadem specie deprehendere possit, quæ competat Actio, licet ea in libello specificè nominata non sit. Ad IV. Satis instruitur Judex ad conformandam Libello sententiam, si narratum medium concludendi, & ipsa conclusio sit ritè formata in Libello, licet Actio specificè non sit expressa. V. Satis proponitur Actio, ut negotium terminetur, si ex contextu libelli deprehendi possit Actio. Quævis verò hæc ita se habeant, minus tamen pulchrum, imò & confusum est, præsertim ubi plures Actiones competere possunt, specificam Actionis, qua quis agere cepit tanquam sibi maximè proficiam nomen exprimere, vel etiam plures, si sint compossibiles, nominare in specie.